

& ut est huius coordinationis generalissimum; partes substantiæ non sunt substantia; nec directe in hoc Prædicamento ponuntur; sed solum reductiue: hanc probant argumeta facta in principio quætionis pro parte negatiua: & quia argumenta primam conclusionem probantia contra hanc militare videntur; ideo soluit ea, quorû solutiones manifestæ sunt: nec in illis aliquid notatu dignum se nobis offert: nec in alijs; dum modo aduertatur diuisio illa partium substantiæ: nã per partes essentielles intelligit materiam, & formam: per partes quantitatis intelligit partes integrales substantiæ; & ijs, ac substantiæ completæ, ait, substantiam transcendentelem esse æquiuocam: quod intellige logice; eo modo, quo de ente diximus: nam metaphysice loquendo, est illis diuisio Analogice: ut de ente dictum manet. Ceterum circa additionem agentem de aliquibus proprietatibus substantiæ, sunt nobis aliqua per nonnullos Articulos examinanda.

ARTIC. I.

An proprietates substantiæ sint recte ab Arist. assignatæ?

SEX substantiæ proprietates Philosophus assignauit: & quamuis Doctoroster quinta, & sexta, solum mentionem faciat; nihilominus nos breuiter de omnibus, præter quintam, in hoc articulo agemus. Quare, sine argumentorum strepitu, notandum: quod has proprietates non adducit Aristot. tanquam per omnes causas à posteriori; hoc est, per passionem, omnibus causis correspondentem, uel substantiam diffinire: sed ut per omnes illas in aliqualem substantiæ cognitionem deueniamus; tanquam per illa, quæ solum ipsi substantiæ competunt; uel tanquam per illa, in quibus cum alijs communicat. Et licet aliqua harum proprietatum non conueniat substantiæ in quarto modo; omnes tamen simul sumptæ, ita in hoc Prædicamento reperiuntur; ut in nullo alio reperi possint: sicut de collectione individualium proprietatum, super Porphyriû, quæst. 1. De specie art. 7. not. 5. adnotauimus.

Dicendum primo. Prima proprietates substantiæ est; quod non sit in subiecto, nec de subiecto inhærens; dicatur tanquam accidens: hæc de se patet: nam accidens, & substantia, differunt: sed accidenti conuenit esse in subiecto inhærens; ergo substantiæ conuenit non esse in subiecto inhærens. Nota tamen: quod licet hæc proprietates per negationem explicetur; in se tamen est realis positua: nam omnis negatio, affirmationem præsupponit.

Sed ut melius hæc proprietates intelligatur; est aduertendum: quod duplex est subiectum: aliud in quo, seu inhærens; aliud de quo, seu prædicationis: accidentia tam communia, quam singularia, petunt subiectum inhærens; & in hoc differunt à Primis, & Secundis substantijs; differunt tamen inter se; nam accidentia commu-

nia, & habent subiectum inhærens; quia accidentia sunt; & habent subiectum prædicationis; quia habent sua inferiora, de quibus in quid prædicantur: accidentia autem singularia solum habent subiectum inhærens; cum sint accidentia; non autem habent subiectum prædicationis: quia non sunt superiora; sed singularia solum; & hoc uult Aristot. quando ait: accidentia communia in subiectis sunt; & de subiectis dicuntur: accidentia uero singularia in subiectis sunt; sed non dicuntur de subiecto. E conuerso autem in substantijs accidentia substantiæ secundæ non habent subiectum inhærens; bene tamen prædicationis: Primæ uero substantiæ nec subiectum inhærens, nec prædicationis, habent.

Dicendum secundo. Secunda proprietates, quæ substantiæ secundæ completa conuenit, est; quod uniuocè, nomine, & ratione, de Primis prædicetur: ubi prædicari uniuocè sumitur contra prædicari denominatiue, ac non essentialiter. Hæc patet: nam genera de speciebus; & species de indiuiduis; & differentia substantiales de speciebus, & indiuiduis, secundum nomen, & rationem; hoc est, essentialiter prædicantur.

Dices; Accidentia prædicantur de suis inferioribus nomine, & ratione: ut albedo est color; hæc ergo proprietates non conuenit substantijs secundis.

Respondeo: quod prædicari uniuocè secundum nomen, & rationem; tanquam prædicatum per se, in se, tantum substantijs secundis conuenit; & ita intelligitur hæc proprietates, ne accidentibus conuenire uideatur.

Dicendum tertio. Prima substantia significat hoc aliquid; secunda uero quale quid; hoc est (relictis alijs explicandi modis) Prima substantia significat aliquid per se primo subsistens; quod proprie dicitur hoc aliquid; secunda uero significat quale quid; id est, naturam, seu essentiam communem, quæ non per se primo, sed ad existentiam, & subsistentiam, primarum existit, & subsistit.

Obijcies: genera, & species, secundum Porphyrium tantum in quid prædicantur; sed secundæ substantiæ sunt genera, & species; ergo tantum in quid prædicantur: & non in quale quid; quod solum differentijs conuenit.

Respondeo: concedendo totum discursum; nam aliud est prædicari in quid; aliud significare quale quid. Primum est, enunciarier essentiam; prout est; & prout de suis inferioribus dicitur; ut uero secundum in proposito est significare naturam communem per se primo non existentem; sed ad existentiam alterius: quare licet primum secundis substantijs conueniat; etiam hoc secundum conuenit illis: quia sicut forma qualificans, non per se, sed in subiecto existit; & ideo significat quale quid: sic similiter in proposito dicitur.

Dicendum quarto. Substantiæ nihil est contrarium. Pro hac quarta proprietate est notandum: hic sumi contrarietatem strictè, eo modo, quo præcedente adnotauit Doctor in solutione ad tertium, nempe pro repugnantia duarum formarum mutuo uirtute propria ab eodem sub-

2. Conclus.

3. Conclus.

4. Conclus.

lecto se se expellentium. Unde cum substantia non sit in subiecto; non potest à subiecto expelli. Et ultra: quia una substantia non fit ex alia; ut in proprie contrarijs accidit. Non tamen sumitur contrarietas large pro repugnantia duarum formarum se se simul non compatientium: nam, ut sic, una forma substantialis alteri contrariatur, & una differentia alteri.

Dices: Elementa sunt substantiæ: & tamen inter se contraria sunt: ergo substantiæ aliquid est contrarium.

Respondeo primo: Elementa esse contraria ratione qualitatum, quas in se habent; quia ignis habet caliditatem, quæ formaliter frigiditati Aquæ contrariatur. Secundo dico: quod est contrarietas large sumpta. Tertio dico: quod formæ elementorum opponuntur inter se, non secundum se, sed prout sunt radices contrariarum qualitatum.

Dicendum quinto. Substantia est susceptiua contrariorum naturaliter; ut subiectum quod patet: substantiæ nihil est contrarium: ergo potest contraria suscipere, quomodo cumque contraria sumantur: dummodo contrarietas attendatur penes ipsa contraria inter se; & non penes substantiam; ut aduertit Doctor in præsentia: aliter enim sexta proprietates quarta contradiceret.

Dicendum sexto, substantia non suscipit magis, & minus: hæc est quinta proprietates substantiæ: sed quia hæc magnam continet difficultatem; quam Doctor Metaphysico relinquit; ideo de hac proprietate est nobis latius inuestigandum.

ARTIC. II.

An substantia suscipiat magis, & minus?

PRIMA in hoc articulo, sententia est Antonij Andree 11. Metaphys. quæst. vnicæ; quem sequuntur Orbellus in hoc cap. & Pater Fabrus in Physica Theorem. 65. cap. 2. Ioannes Canonicus 5. Physicæ quæst. 1. licet iste problemmaticus existat, qui omnes affirmant substantiam indiuidualem suscipere magis, & minus; quam probant auctoritatibus, & rationibus: Prima auctoritas habetur 7. Physicorum; ubi dicitur, quod si numerus esset substantia; maior, & minor numerus esset eiusdem rationis: igitur substantia intra eandem rationem suscipit magis, & minus.

Secunda auctoritas habetur 8. Metaphysicæ. 10. ubi dicitur: substantia non suscipit magis, & minus; sicut numerus: nisi in materia; hoc est; ut exponit Doct. nisi in indiuiduo; igitur, &c. & hoc expresse docet Commentator tertio de Cælo de formis elementorum.

Tertia auctoritas desumitur ex vno articulo damnato Parisijs; in quo sic dicitur: dicere; Quod incontinenti est, ponere aliquos intellectus nobiliores alijs: quia cum illa diuersitas non possit esse à parte corporum; oportet quod sit à parte intelligentiarum; & sic Anima nobiles, &

ignobiles, essent necessario diuersarum specierum error. Quia sic Anima CHRISTI non esset nobilior Anima Iudæ. Hæc Articulus. Ergo secundum hunc articulum damnatum necessario fatendum est esse Animas nobiliores alijs; etiam quoad essentiam addit Orbellus. Ac per consequens substantia suscipit magis, & minus.

Secundo probatur ratione: quando cumque una substantia numero eiusdem speciei habet aliam qualitatem conuenientem necessario speciei intensiorem, quam alia forma eiusdem speciei; forma prioris substantiæ est perfectior; & consequenter magis substantia; quam forma secundæ substantiæ habentis minus intensam qualitatem: sed sic est; quod una substantia numero eiusdem speciei habet qualitatem necessario speciei conuenientem intensiorem, quam alia forma eiusdem speciei: ergo illa est perfectior, & magis substantia, quam ista. Consequentia est legitima. Minor patet inductiue; quia unum indiuiduum ignis est calidius alio indiuiduo ignis; materia quantitate utriusque æqualiter existente. Et unum indiuiduum vini, & carnis, est dulcius alio indiuiduo eiusdem speciei; & sic de alijs. Maior ex duobus suppositis apparet: primum, quod qualitates emanant ab illa forma substantiæ; excluso quocumque alio extrinseco agente: ut patet de frigiditate aquæ: nam cum frigiditas aquæ per contrarium remittitur: si postea substantia illa aquæ sibi relinquitur; redit ad pristinum statum, & gradum frigiditatis: ergo uidetur; quod causa efficiens reditus frigiditatis non sit alia; quam forma substantialis aquæ. Secundum suppositum: causa naturalis non impedita agit secundum ultimam potentiam. Ex quibus suppositis sequitur: quod si qualitas producta ab una substantia eiusdem speciei sit minus intensa qualitate proueniente ab alia substantia eiusdem speciei; etiam forma substantialis sit imperfectior: quia præstantia effectus æguit nobilitatem causæ. Maxime, quando causæ agunt secundum ultimam potentiam; & non sunt impeditæ; & sunt in suo esse quieto; & non pugnant cum contrario: ergo.

Tertio: Experientia constat; unam aquam habere plures partes aquæ, quam aliam: sed aqua est substantia: ergo.

Quarto: Sint duo ignes, unus duorum pedum, & alter unius pedis; & condenset Deus illi, qui est duorum pedum ad quantitatem illius, qui est unius pedis: in hoc casu erit maior ignis, quam alter; quia sunt in eodem loco; & situ; habetque plures partes perfectionales: ergo suscipit magis, & minus. Alia argumenta uide apud Canonicum; ut supra: & apud Basolium in secundis, distinet. 32. quæst. unica.

Secunda sententia ex diametro opposita est nostri Ioannis de Basolis ut supra: Tarenti in hoc cap. dub. 2. quam probabilem iudicat Canonicus; imò; & Doctor noster 8. Metaphysicæ. 3. §. possunt ergo formari. Vbi sic ait: Nota, quod quæstio prima: (scilicet; An forma substantialis sit maior alia eiusdem speciei) nullam habet rationem cogentem, pro, nec contra: Ex quibus uerbis patet; quomodo probabiliter potest dici eum hanc sententiam probabilem iudicare: Pro qua

2. Argum.

Additio

3. Argum.

4. Arg.

2. Sententia

Nota

Not.

E. Carol.

Nota.

Nota.

Nota.

ic 30

notadū 1. Quod substantia, seu forma substantialis, secundum Doct. ut supra, non sumitur pro altera parte compositi naturalis; scilicet, pro forma partis: quia Arist. comparans formam substantialem ad numeros, ait: formam esse diuisibilem; id est, resolubilem in partes, ex quibus constat, & per quas diffinitur: ait etiam esse immutabilem; per se vnam, & inuariabilem: quæ omnia de forma partis nequeunt intelligi: vt subtiliter probat Doctor in 8. Metaphys. super tex. 10. in fine. Intelligitur ergo de forma totius, seu de substantia completa; vt ait Doctor ibidem. Et cum hæc sit, vel incorporea, vel corporea; non intelligitur nisi de corporea constante ex materia, & forma, & habente esse per generationem: vt constat per Aristot. in toto illo libro octauo, & per Doct. in expositione illius: quare de hac substantia precipuus erit sermo in hoc Articulo; licet etiam de forma partis; siue sit educta de potentia materiae; siue non; vt sunt Animæ rationales; determinabimus.

2. Nota.

Secundo notandum: magis, & minus: & maius, & minus, in aliquibus conuenire, & in aliquibus differre: conueniunt quidem; quia ambo sumuntur secundum aliquam quantitatem molis, vel virtutis: & etiam quia dicunt ad inuicem respectum: nam maius dicitur respectu minoris: vt linea bipedalis dicitur maior per respectum ad lineam pedalem, quæ dicitur minor: & magis sumitur per ordinem ad minus: vt nix dicitur magis alba respectu Sachari minus albi: differunt tamen multipliciter: primo, quia maius, & minus, sunt nomina; & ideo significant ipsas formas: at magis, & minus, sunt aduerbia; & ideo non formas ipsas, sed modos ipsarum formarum significant. Secundo differunt: quia maius, & minus, reperiuntur in quantitate, siue molis, siue virtutis; significantque comparationem præcise inter formas absque ordine ad subiectum; seu ad aliquod tertium, quod participant. At vero magis, & minus, fundantur in quantitate, secundum quod habet esse in subiecto: quia subiectum est, quod dicitur magis, vel minus tale: & etiam sumuntur in ordine ad tertium; videlicet, ad formam superiorem, & illimitatam, quam participant. Tertio differunt: quia maius, & minus, reperiuntur in quantitate molis, & virtutis: sicut enim dicimus: hæc linea est maior; sic hic calor est maior: cæterum magis, & minus, solum reperiuntur in quantitate virtutis: Vnum enim album dicitur magis album alio: attamen vna quantitas in abstracto, vel in concreto, non dicitur magis quantitas, quam alia. Differunt tandem: quia magis, & minus, præsupponunt maius, & minus: nam prius est forma in se, quam in ordine ad subiectum: & ideo dicitur subiectum magis album, quæ aliud: quia albedo, quam habet, est maior, & intensior, alia, quæ est in alio subiecto.

3. Nota.

Pro quo notandum tertio, quod sicut duplex est quantitas, secundum Augustinum 6. de Trinit. cap. 7. & 8. molis, scilicet, & virtutis: molis, quæ ad secundum Prædicamentum pertinet; & virtutis, seu perfectionis, quæ in omni ente reperitur: ita duplex est motus in quantitate: vnus est ab imperfecta quantitate molis, ad perfectam,

qui dicitur augmentum: vel est contra; à perfecta ad imperfectam, qui dicitur diminutio, seu decrementum: alter est ab imperfecta quantitate virtutis ad perfectam; seu (quod idem est) ab imperfecto gradu formæ ad perfectum, qui dicitur intensio: vel est contra à perfecto ad imperfectum, qui dicitur remissio. Et ratio istorum motuum in quantitate perfectionis est: quia sicut quantitas molis, secundum quam aliquod subiectum mouetur, est diuisibilis, & citra terminum suum: ita quantitas perfectionis (maxime informis accidentarijs) habet partes suo modo; & est diuisibilis; ac citra terminum suæ perfectionis: vel saltem, non necessario est in suæ perfectionis termino: & secundum hanc perfectionis quantitatem attenduntur magis, & minus, in Articuli titulo: ita vt sit sensus: An substantia habeat gradus diuisibiles in se, secundum quos, magis, aut minus, suscipiat: hoc est substantialiter intendatur, aut remittatur.

Quarto notandum: gradum, seu modum intrinsecum, ex Doct. in primo, distinct. 17. quæst. 6. lit. Xx. esse duplicem, specificum, & indiuiduale: & sic vltimus in qualitatibus sic, à Doct. infra cap. de Qualitate, describitur: est aliquid absolutum de genere Qualitatis, ad quem consequitur respectus secundum magis, ad alium imperfectum in eadem specie, quem consequitur relatio minus. Vel aliter secundum Antonium Andream super sex Principia quæst. vltima, & 8. Metaph. quæst. 6. & Canonicum 5. Physic. q. 3. art. 1. Gradus indiuidualis est portio perfectionis formæ specificæ, extra eius conceptum quidditatiuū, formæ specificæ infra suū conceptum essentialiter includens; inclusa realiter infra conceptum indiuidui, vagi, vage; & signati, signate. Dicitur primo; portio perfectionis: quia forma specificæ est in se illimitata, habens quandam totalitatem, seu quantitatem perfectionis diuisibilem, & participabilem, cuius gradus dicitur portio, seu pars; quia non includit totam illam diuisibilitatem perfectionis. Dicitur etiam secundo esse extra eius conceptum quidditatiuū: quia licet forma sit illimitata; tamen infra suum conceptum quidditatiuū non habet istos gradus; sed abstrahit ab illis: si enim eos includeret, vbicumque reperiretur, essent ibi omnes isti gradus: & ita tanta esset perfectio in vno indiuiduo illius naturæ, quanta in omnibus simul: quod est absurdum. Tertio dicitur: quod gradus includat ipsam formam specificam infra suum conceptum: nam quilibet gradus albedinis est formaliter albedo; & albedo cum tali gradu realiter identificatur; & est contra: licet gradus extra conceptum essentialiter albedinis sit. Quarto dicitur; vt forma sit intra conceptum indiuidui: nam ex forma, & tali gradu, indiuiduum constituitur. Tandem ponitur, vagi, vage, & determinati, determinate: quia sicut duplex est indiuiduum, vagum, & signatum: ita duplex gradus reperitur.

Cæterum, hæc descriptio gradus in aliquibus falsa videtur: primo quia ex quarta conditione colligitur, gradum esse idem, quod Hæccitas: quod Doctori manifeste contradicit: nam ait in primo, vt supra; & distinct. 8. quæst. 7. sic gradus

4. Nota.

intrinsicus est posterior re, cuius est modus: ac per consequens talis gradus est posterior Hæccitate constituente indiuiduum. Beneuerum est tamen: quod sepe; imo & communiter, indiuiduum formæ aduenientis additum indiuiduo formæ præexistentis appellatur gradus: nõ quod sit in se gradus formaliter: sed quia secum adducit talem gradum perfectionalem, quo forma perfectior reditur, quam antea erat in indiuiduo præexistente. Secundo, quia si ex vltima conditione, talis gradus sit idem realiter cum indiuiduo vago, vel signato; tunc propter identitatem realem repugnaret tali indiuiduo esse sine illo gradu: quod est falsum: quare definitioni Doctoris videtur potius standum.

1. Corol.

Ex quibus infero primo, Gradum intrinsecum indiuiduale solum reperiri in formis, quarum indiuidua possunt ad inuicem vniri, vt vnum indiuiduum completum, & determinatum, efficiantur: ita vt in eodem loco, & situ diuisibili, diuisibiliter se ad inuicem penetrant; ita quod indiuiduum adueniens penetraret totum indiuiduum præexistens; & pars partem; & non qualibet pars quamlibet partem: nisi forte subiectum sit indiuisibile. Et cum hoc solum in qualitatibus reperitur; in illis fit proprie intentio, & remissio; dicunturque proprie magis, & minus, suscipere.

2. Corol.

Infero secundo, quod suscipere magis, & minus, in forma apta, est ipsam formam habere in se plures partes perfectionales, seu indiuidua eiusdem rationis ab inuicem realiter distincta, quarum quodlibet rationem formalem, & specificam ipsius formæ participet in recto. De istis gradibus vide multa apud Bargium in 1. distinct. 17. quæst. 1. & 2.

5. Not.

Quinto notandum: quod substantia corporea, quæ habet esse per generationem, de qua præcipue loquimur in præsentibus; vel est corporea animata; vel corporea inanimata: & quælibet consistat ex materia, & forma; diuersimode tamen: nam incorporea inanimata; vt forma informet materiam, non requirit aliquam aliam formam substantialem, seu corporeitatis: sed ipsa immediate illam informat; & surgit hoc compositum substantiale inanimatum: at vero in substantia corporea animata requiritur forma præuia corporeitatis substantialis, antequam forma partis materia informet, per quam corporeitatis formam constituitur corpus, quatenus est altera pars compositi; nõ vero quatenus est corpus genus ad animaliam vt sic, per formam; quæ est altera pars compositi constituitur: vt cum Doct. in quarto, distinct. 11. quæst. 3. dicimus. Vnde aliter fit indiuiduatio in substantia animata; & in inanimata: nam in hac immediate ab ipsa materia prima, & forma, pullulat Hæccitas; & fit hoc indiuiduum, cui immediate communia accidentia insunt: attamen in substantia animata Hæccitas non pullulat immediate ab ipsa materia prima nude sumpta; sed quatenus est sub forma corporeitatis; ex qua, vt sic, & ex anima, surgit totum compositum, ex quo pullulat Hæccitas, quia indiuiduum constituitur.

Ex quo fit: cum Aristot. in 8. Metaph. specialiter agat de substantia sensibili; in tex. 10. ita

dicit: Et quemadmodum, nec numerus habet magis, aut minus; nec quæ secundum speciem, substantia; sed si quidem quæ cum materia. Ac si dicat: substantia sensibilis non suscipit magis, aut minus, specificè sumpta; bene tamen contracta; & indiuiduata. Quæ ratio suscipiendi magis, aut minus, non prouenit illi ex forma: nec materia nude sumpta; sed ex forma corporeitatis, quæ in vna est perfectior, quam in alia; vel ratione feminis; vel ratione dispositionis matricis; vel alterius cause. Cæterum, hoc non est substantia suscipere magis, aut minus proprie; sed improprie, & secundum quid: cum talis perfectio non sit essentialis; sed accidentalis: & ita sunt intelligenti Aristoteles, ac Doctor, quando dicunt; substantiam in indiuiduo suscipere magis, & minus.

Vltimo notandum: quamlibet naturam substantialem tripliciter considerari posse: vel post contractionem ad esse singularis: vel in ipsa actuali contractione: vel ante contractionem: quando, scilicet, est indifferens ad omnes Hæccitates, & ex se à pluribus indiuiduis participabilis. Et hoc vltimo modo dicitur habere latitudinem graduum: quod reuera, tam in natura substantiali, quam accidentali, nihil est aliud, quam esse illi imitatum, indifferens, & à pluribus indiuiduis participabilem.

7. Nota.

1. Conclusio.

Dicendum primo. Si substantia sensibilis; & quæcumque alia natura sumatur; prout ab hæccitatibus abstrahit; non suscipit magis, & minus: hæc est communis cum Aristot. 8. Metaph. tex. 10. & cum Doctore in expositione illius loci, & quæst. 3. & in primo, distinct. 17. quæst. 6. & probatur: substantia in illo priori nihil est, nisi sua prædicata essentialia; realitas, scilicet, generis; & differentie: sed talia prædicata non suscipiunt magis, aut minus: ergo nec substantia ab hæccitatibus abstracta. Probo minorem: nam si susciperent magis, aut minus; non essent eadem prædicata; sed alia: quia gradus differentialis aut mutat speciem; faciendū, v. g. de Homine Leonem; aut de non specie facit speciem: vt de animali facit hominem; ergo si addatur talis differentia; erunt alia prædicata: ac per consequens erit alia substantia; & non prior: & de illa fiat idem argumentum; donec detur aliqua substantia; quæ specificè sumpta non suscipiat magis, aut minus.

2. Conclusio.

Dicendum secundo. Substantia post contractionem ad esse singularis non suscipit magis, aut minus: hæc est Doctoris in Metaphys. vt supra, tenendo primum medium; quam substantia nec contra Auerroim afferentem aliquam formam substantialem eandem numero posse intendi, & remitti; vt de formis Elementorum probat: contra quem probatur nostra conclusio primo: si remissa qualitate, remittitur etiam forma substantialis: ergo amoto contrario remittente, nulla est causa intrinseca redeundi ad gradum intentum pristinum: consequens est contra experientiam: ergo & illud, ex quo sequitur, est falsum. Falsitas consequentis patet: sit aqua in summo frigida; puta, vt octo; accedit ignis; & remittit frigiditatem aquæ per quinque gradus: deinde amouetur ignis, & cessat agere: tunc experientia

tia manifestum est; quod aqua redit ad pristinos gradus, ut octo modo si forma substantialis aquæ tunc remissa fuisset, quædo frigiditas fuit remissa; manifestum est; quod aqua non potuisset redire ad gradum intensum in summo: quia forma remissa non potest ultra suas vires agere; nec gradum intensiorem illo, cuius ipsa potest esse principium esse actuum, producere; igitur dicendum est; vel quod forma aquæ non fuit remissa; ac per consequens intentum: vel quod illorum graduum redeuntium non datur in aqua causa intrinseca effectiva: quod est falsum: igitur, &c.

Secundo, postquam homo; & quælibet alia substantia est singularis; si suscipit magis, & minus; illud, per quod intenditur, aut est substantia, aut accidens: si hoc secundum non est intensio: quia hæc fit ex gradibus eiusdem rationis: si primum: & additur Petros erit etiam homo: & cum debeat esse singularis; erit etiam Petrus: & sic Petrus erit duplex Petrus: quod est absurdum: ergo. Alias quæ plures rationes vide apud Basiliū: vt supra.

3. Concl.

Dicendum tertio. Nulla substantia corporea, aut incorporea, suscipit magis, aut minus, in fieri; hoc est, quando redditur singularis: probatur primo, hæc maior, aut minor perfectio substantialis non potest substantiæ singularis; scilicet, Petro: provenire, nisi ratione hæc ceitatis perfectius naturam singularizantis: sed quælibet hæc ceitas substantialiter, & essentialiter, est æqualis in omnibus hominibus: igitur humanitas, quando ad individua descendit per hæc ceitates, non suscipit magis, aut minus. Maior patet ex comparatione differentiæ individualis cum differentiâ specificâ, quæ assignat Doctor in 2. dist. 3. q. 6. sicut enim differentiâ specificâ constituit quidditatiue speciẽ, sic individualis constituit quidditatiue individuum: ergo sicut maior, vel minor perfectio in specie provenit à differentiâ; ita maior, vel minor perfectio in individuis provenit ab hæc ceitatibus.

Minor probatur: causa naturalis, quæ immediate, necessario, & per se causat, habens omnia requisita ad agendum; si non fuerit impedita; producet effectus æqualiter perfectos: tum quia agit secundum ultimum potentie: tum etiam quia idem, in quantum idem, semper est natum facere idem: sed humanitas est huiusmodi causa respectu hæc ceitatum; & est æqualiter perfecta, ubi quæ fuerit: ergo producet hæc ceitates æqualiter perfectas: ac per consequens individua erunt æqualis perfectionis substantialis in esse individui. Minor quoad primam partem est certa: quoad secundam ostenditur: si natura substantialis non esset æqualiter perfecta in illo priori ad producendum æquales hæc ceitates, vel illi proveniret ex parte materiæ primæ nude sumptæ; vel quatenus est sub forma corporeitatis; vel ex parte animæ rationalis: non primum: quia materia in omnibus est æqualis: nec secundum: quia tunc tantum suscipit magis, & minus, per accidens: vt diximus not. quinto: nec tertium: quia vel anima est perfectior alia in ratione communi animæ; vel vt est hæc, & singularis: non primum: quia tunc constitueret individuum diversæ speciẽ: nec secundum: quia hæc ceitas animæ dimanat à quiddita-

te ipsius animæ; quæ, cum sit causa naturalis suarum singularitatum; æqualiter eas producit: ergo si humanitas est æqualiter perfecta; & hæc ceitates æquales producit: ipsius individua æqualia erunt.

Dices forsitan: quod licet hæc ceitates sint æquales, quatenus à principiis essentialibus dimanant: non vero quatenus à Deo producuntur: nam poterit Deus unam hæc ceitatem, siue totalem; vt est hæc ceitas totius; siue partialem; vt est hæc ceitas animæ; producere perfectiorem alia quacumque eiusdem speciẽ: sicut de formis specificis constat.

Contra: vel Deus concurret immediate solus producens talem hæc ceitatem; vel simul cum ipsa natura: si primum ergo hæc ceitas est entitas per se, singularis, & completa, quia est terminus actionis terminata ad singulare; & sic; hæc ceitas haberet aliam hæc ceitatem: & sic in infinitum. Et præterea, quia tunc hæc ceitas de foris adveniret naturæ: & natura in illo priori esset realiter sine hæc ceitate: quæ omnia sunt implicatio: ubi secundum: vel Deus concurret æquali concursu cum principiis productivis hæc ceitatum; vel inæquali: vel maiori. Si primum: habemus intentum. Secundum est impossibile: quia concursus diutius ad producendum hæc ceitates, & reliquis entitatibus, quæ sunt de integritate, & perfectione naturæ; est imparibilis; & inseparabilis, per quæcunque potentia: & ideo non potest minor talis concursus: quia ipso diminuto, de sine re esse natura: vel posset dari realitas communis substantialis à parte rei: quod nemo cõcedet. Si tertium: tunc vel talis concursus maior non concurreret cum ipsis principiis naturæ ad producendum hæc ceitatem; sed immediate terminaretur ad illa; quod iam impugnavimus: vel si concurreret; concurreret iuxta ætuitatem principiorum: & sic æqualiter: & haberet interem: vel augeret ætuitatem huius naturæ; & non illius: & tunc natura aucta distingueretur specie ab alia: quia ætuitas maior specificâ entitate in specificam arguit, igitur, &c.

Secundo probatur conclusio: vna hæc ceitas non participat naturam intensius, aut remissius, quæ alia: ergo nec individuum suscipit magis, aut minus: probo antecedens: aliquam naturam participare intensius, aut remissius, ab aliquo, est, ipsum participare plures, aut pauciores gradus consequentes plura, aut pauciora individua inter se vnbilia ad constituendum vnum individuum completum, & in summo: sed talia individua, nec gradus illa consequentes, dantur in aliqua substantia individua; maxime in æthereogenea: ergo. Maior ex notabilibus patet: minor probatur: quia quodlibet individuum participat naturam specificam; & sic quodlibet individuum substantiale completum est formaliter plura individua: quod est ridiculum: ergo, &c.

Tertio. Si vna natura substantialis esset perfectior in vno individuo, quam in alio; necessario talis natura haberet ex se latitudinem graduum perfectionis ante hæc ceitatem: sed hoc non: ergo Probo minorẽ: tunc quia in illo priori, tati est natura specificâ, quæ vt sic, non suscipit magis, aut minus,

plus ex prima conclusione: tum etiam quia maior admittit, sed non concessit; tales gradus in illo priori essent indivisibiles: vt Contrarij fatentur, sed indivisibile, quando contrahitur; etiam contrahitur totum, cuius ipsum est pars: ergo per quæcunque hæc ceitate omnes gradus formæ simul contrahuntur: ac per consequens natura substantialis non contrahitur per magis, & minus.

Quarto, accipio animam rationalem; & arguo sic: anima non habet plures partes perfectiores eiusdem rationis ipsam integrantes: quia oporteret illas esse quasdam animas: cum partes, per quas aliquid suscipit magis, & minus, debeant esse ad invicem eiusdem rationis; & etiam cum illo, quod suscipit magis, & minus: sed hoc est falsum: imo & periculosum: ergo & quod anima suscipiat magis, & minus.

Ad primū.

Ad argumenta: ad primum, & ad primam autoritatem responderetur: quod ibi loquitur Arist. de substantijs; sicut & de numeris, secundum intentionem Platonicorum, qui posuerunt, & substantias esse numeros; & substantias materiales suscipere magis, & minus; & latitudinem recipere ex materia ipsa: non autem loquitur secundum propriam intentionem.

Ad secundam patet per idem: quod loquitur secundum intentionem Platonicorum: nam in vltima comparatione substantiarum ad numeros secundum conditiones eis attributas à Platonicis ponit illud verbum, nisi in materia. Vel dicit: quod non dicit illud assertive: sed magis dubitative: & oppositum dicit assertive in Prædicamentis. Vel dicit: quod loquitur secundum illud, quod not. 5. diximus.

Ad tertiam, Omnia solutio Basilij dicentis unam animam esse alia perfectiorem, non in substantialibus; sed in quibusdam accidentibus tenentibus se ex parte animæ; quæ ipse se ignorare fatetur: omnia igitur hæc solutio, dico aliter: quod est error asserere illud, quod Magistri illi Parisienses assererant: videlicet, quod vnus intellectus non est aliquo modo nobilior altero: quod nostra non asserit assertio: sed fatemur animam Christi esse nobiliorem anima ludæ; non solum quoad supernaturalia; sed quoad naturalia, accidentalia tamen: quam nobilitatem dicimus illi ex parte corporis provenire: quia scilicet, creata fuit ad informandum corpus sanctissimum debite proportionatum, & complexionatum, habensque organa optime disposita, & valde apta, ad operandum: & ideo fuit anima Christi, quoad ingenium, & perspicacitatem, & alia huiusmodi naturalia, perfectior anima cuiuscunque hominis: & sic de alijs animabus suo modo dicitur: quare nostra conclusio non est damnata: cum ponamus aliquam nobilitatem in anima ex parte corporis, quam illi non ponebant.

Ad secundū.

Ad secundum, nego minorem: nam si vna aqua est alia frigidior; & vnum vinum dulcius alio, non provenit ex ratione formæ aquæ; nec ex dispositione materiæ primæ; vt volunt aliqui: quia nulla dispositio antecedens remanet; quando introducitur forma aquæ: vt probat Doctor in 4. dist. 12. q. 3. & vltra: quia vt arguit ipse in 11. dist. 17. formæ eiusdem speciẽ requirunt dif-

positiones eiusdem rationis: sed oritur illa maior intensio ex speciali dispositione terræ, per quam transit aqua; aut in qua generatur vinum. Vnde experientia docet aquam aliquorum fontium esse frigidiorẽ alia alterius fontis: & aliquando calidiorẽ; aliam densiorem, & graviorẽ; aliam subtiliorem, & leuiorem. Veruntamen si duæ aquæ alia altera frigidior ad ignem eodem modo applicarentur, ita vt maneat in eodem frigiditatis gradu, seculo postea omni extrinseco agente; existimo; quod ad æqualem frigiditatem redirent. Similiter vnum vitum videmus esse dulcius alio: quia in tali, vel tali terra, generatur: & idem de carnibus dicitur: quia scilicet, tali vel tali herba fuit nutrita. Vnde infantulus sugens lac matris sic, vel sic infirmus; aut tali, vel tali cibo vescens; talem, vel talem carnem, seu colorem habet: igitur etiam, & aqua, si fumantur in individuo imperfecto, & sub eadem materia, & quantitate; omni extrinseco adiuvante excluso; non suscipiunt magis, & minus.

Ad tertium.

Ad tertium dico: quod illa aqua est maior extensivè; sed non intensivè: nam aqua addita aquæ solum extensionem causat: quia pars aquæ addita est individuum numerice distinctum ab aqua præexistente, etiam quoad quantitatem: quare licet quantitas augetur; materia tamen, & forma manent in illis partibus impermixtæ: & ita quodlibet individuum habet suam materiam, & formam: quin intendatur, seu remittatur.

Ad quartum.

Ad quartum restat solutio Tarareti; respondeo: quod vel duo illi ignes condensati habent vnicam materiam sub duabus formis; materia altera annihilata; vel habent vnicam formam in duabus materijs; vel habent duplicem materiam, & formam; & solum quantitates penetrantur: si primum, & secundum, sunt duo ignes; vel ratione duplicis materiæ; vel duplicis formæ: & idem de tertio est dicendum.

Nota.

Aliæ difficultates solent circa hoc Prædicamentum moveri: An scilicet, Angelicæ, celi, & Elementa in illo collocentur: quod etiam de Christo Domino, in quantum est individuum hominis interrogatur: quibus affirmatiue respondetur: quia sunt entia completa, & finita: nec de Christo oppositum docet Doctor in 3. dist. 7. q. 15. quinto videndum: vt falso sibi imponit Araujo 5. Metaph. quæst. 2. art. 4. nam ibi solum ait: hæc propositionem: Christus est homo: non esse omnino per accidens: quia subiectum includit prædicatum: nec omnino per se: quia subiectum non habet omnino per se vnum conceptum in se: sicut ista: homo albus est coloratus. Ex quibus patet: quomodo loquitur Doctor de Christo; vt includit individuum humanitatis, vt subiectus substantiæ verbis; non vero; vt præcisè pro individuo humanitatis sumitur: nam vt sic, ait;

includere prædicatum per se: ac per consequens directe in Prædicamento isto collocari.